DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA DE APOPLAXIA UT...

Girolamo Manetti

Digitized by Google

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

DE

APOPLEXIA

UT

MEDICINAE LAUREA

HONESTARETUR

IN LYCEO MAGNO PATAVINO

NONNULLA PUBLICE PERLEGEBAT

Manetti Hieronymus

E VENETIIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCXLII.

Digitized by Google

722

Digitized by Google

DE APOPLEXIA GENERALI.

Definitio

Apoplexia, αποπληξία Graec., coup d'apoplexie Gall., morbus, paralysis universalis Latin., varia a diversis auctoribus ratione definitur. Sic juxta Cullen, apoplexia est omnium fere motuum voluntariorum silentium, cum sopore plus minusve profundo, cum cordis et arteriarum motu, respiratione perstantibus.

Juxta Galenum: detentio mentis cum abolitione sensuum et corporis resolutione. Idem alio loco dicit: Apoplexia est abolitio sensus et motus in omnibus nervis. Secundum mentem magni Boërhaave apoplexia est subitanea actionum, sensuum tam in quam externorum, omniumque motuum voluntariorum abolitio, pulsu forti, respiratione magna, difficili, stertorosa una cum somno perpetuo superstitibus. Aliis videtur apoplexia subitanea sensuum tam in quam externorum motuumque voluntariorum silentium, pulsu et respiratione tactu probe animadvertendis. Secundum mentem celeberrimi professoris Hildenbrand apoplexia est subitanea omnium sensuum tam in quam externorum motuumque voluntariarum abolitio, cum artuum et sphincterum relaxatione, persistentibus ceteroquin functionibus vitalibus, respiratione, pulsu cordis et arteriarum.

Digitized by Google

Nosographia Apoplexiae.

Symptomata apoplexiae essentialia colligens, supervacaneum mihi non esse videtur, symptomata quoque recensere, quae morbum hunc praecedere consuescunt, symptomata scilicet prodroma, ad quae pertinent: cephalaea cum gravedine atque vertigine, somnolentia, somnus inquietus somniis terrificis interruptus, diversae sensuum hallucinationes, uti: diplopia, oculorum obfuscatio, tinnitus et susurrus aurium, sensus frigoris glacialis, summa memoriae debilitas, amnesia, facies hinc inde alienata cum musculis distensis, labiis trementibus et angulo oris detracto, lingua difficilis, balbutiens, stridor dentium sub somno, sensus formicationis in extremitatibus persentiendus, et hinc inde stupori cedens, singultus sat saepe gradu increscens. His nonnunquam et convulsiones hystericas, hypochondriacas praecedere experientia constat.

Symptomata Apoplexiae.

Diagnosim apoplexiae sequentia constituunt symptomata: repentinus aegri in terram prolapsus, nonnunquam clamorem edentis, et illico omni conscientia orbati, facies nunc rubra, livida cum calore et turgore auctis, nunc pallida, collapsa, aliena, venae jugulares turgidae, et maculae gangraenescentes in diversis corporis partibus, uti in typho conspicuae, pulsus cordis et arteriarum nunc magnus, plenus, fortis, aequalis, nunc tensus, du-

Digitized by Google

rus, frequens, nunc parvus, mollis, debilis, tardus aut plane intermittens, inordinatus. His porro sese adsociant: aegri rigiditas et sopor profundissimus, cum oculis nonnunquam clausis, alias vero apertis nihilominus tamen semper splendore destitutis atque suffusis, os hians, salivam sat saepe sanguinolentam fundens, cum labiis et lingua lividis tumidisve, respiratio vel normalis, vel normali tardior, vel accelerata, profunda, stertorosa, et tandem involuntarius alvi atque urinarum secessus, sudor frigidus, sat saepe in universo corpore erumpens, vel et profluvia cruenta ex diversis corporis partibus in conspectus prodeuntia, atque mors.

Aetiologia.

Aetiologiam apoplexiae investigantes, in hominum longe plurimis, singularem ad eandem dispositionem offendimus, in habitu sic dicto apoplectico radicatam, quae deinde eo magis huic morbo gravissimo exoriundo occasionem praebet, quo magis eidem adfectiones rheumaticae, arthriticae, impetigines, praeprimis autem glandularum viscerumque obstructiones, diversaeque systematis venae portarum turbae sese adsociant. Praeter hasce autem causas disponentes, et aliae dantur excitantes, et quidem vel idiopathicae, vel sympathicae, vel antagonisticae, apoplexiae origini quam maxime faventes. Ad idiopathicas referuntur: laesiones capitis mechanicae, hinc: contusiones concussiones aliaeque vulnerationes, praeterea vitia

Digitized by Google

726

organica omnis generis, cerebrum plus minusve offendentia; calor nimius, repentinum corporis aestuantis refrigerium; majores sanguinis encephalon versus congestiones; et tandem vehementiores animi adfectus, praeprimis ira, nimia mentis per studia intentio, pervigilium, somnifuga, vermes cystici.

Ad sympathicas numerantur: erysipelas faciei, inflammatio partium nobilium, abusus spirituosorum, vel narcoticorum, uti opii, belladonnae, laurocerasi, nucis vomicae, stramonii etc., sordes gastricae, hinc cibi indigesti, succus gastricus pancreaticus et biliosus corrupti, mucus qualitate abnormis, vermis.

Ad causas antagonisticas spectant: repentina profluviorum, uti haemorrhoidum, menstruorum aliorumque habitualium suppressio, infaustus adfectionis rheumaticae, aut arthriticae a partibus minus nobilibus ad nobilissimam transitus, et tandem diversae metastases exanthematicae. Hisce causis triplicis generis apoplexiam excitantibus adduntur et aliae adhuc in certis metamorphosibus radicatae, uti: hydrothorax, phthisis, graviditas et similia liberum sanguinis circulum impedientia.

Ratio apoplexiae proxima adeo densis obvolvitur tenebris, ut easdem omni ex parte pellere vix ulli contingat. Nihilominus non desunt auctores, summis hisce difficultatibus, sententias suas ceteroquin diverso modo pronuntiantes.

Nonnulli credunt nimirum proximam apoplexiae rationem in sublato multiplici, quod inter substantiam cerebri corticalem et medullarem

Digitized by Google

atque reliquas corporis partes, sensibus motibusque voluntariis inservientes interest, commercio radicem suam figere. Ast, cum causarum hocce commercium vitale perturbantium paucissimae, nisi imaginatione proferantur, constent, cum ipsa hujus commercii natura et ratio mutua hypothesibus tantum innitatur; tunc certe etiam haecce sententia sua adhuc indiget illustratione. Alii iterum, uti Le Cat, clarus Gallorum chirurgus, putant sanguinis, quae in morbo apoplectico invenitur, in vasis cerebralibus accumulationem atque ex his effusionem non esse apoplexiae causam sed effectum, ex spastica illa durae matris, nervorum vasorumque encephali constrictione originem capientem. Cum autem spasticam hanc organorum nobilium constrictionem materia quadam arthritica, aut rheumatica provocari et sustineri dicatur; tunc ad mentem eorum haec proximam apoplexiae causam involvit, cui opinioni et Weikard accedit, adserens in morbo apoplectico adesse materiam quamdam arthriticam vel rheumaticam, quae encephalon maxima cum vehementia adgrediens, constrictiones indolis spasticae provocat, et hac ratione vitam sat saepe flammae ad instar extinguit. His porro addit nonnunquam vitia organica intra calvariam haerentia, quamvis non compressione, tamen irritatione, apoplexiae subesse, imo sat saepe quidquam in encephalo latere, quod praecipuum vitae principium i. e. electricum exhauriens, hujus vim citius tollit. Ast haecce sententia mox iterum a Krause et Meltzer pluribus refutatur argumentis, qui proferunt: verum quidem

Digitized by Google

72Y

esse apoplexiam sat saepe, quin cerebrum comprimatur, ex systemate nervoso male adfecto in conspectum prodire; attamen neque falsum, morbum apoplecticum non minus frequenter ex compressione organorum nobilissimorum originem haurire. Nunc observationibus constat, quod sub majore sanguinis ad encephalon impetu, qualis ex suppressis aliis haemorrhagiis habitualibus, ex abusu spirituosorum etc. multoties exoriatur, vasa rumpantur, humores vitales effundantur, aut saltem vasa dilatentur, et hac ratione partes cerebri proximae comprimantur; quod adfectiones spacticae diversarum corporis partium, quatenus sanguinis torrentem ad caput urgent, vasis ruptis hic locorum latices vitales effundant, et apoplexiae originem tribuant. Eadem ratione explicatur gravissimus hicce morbus ex systemate nervoso male adfecto, e. g. morbosa sensilitate gaudente, quatenus inde spasmi, ex spasmis congestiones atque extravasata, ex his autem encephali compressio et ipsa mors exoriuntur. Praeter hasce circa proximam apoplexiae rationem opiniones, tot et aliae adhuc dantur, nihilominus quamvis sagacissimae, tamen nondum satis illustratae, nec confirmatae.

Autopsia cadaverum.

Cadavera hominum hostili apoplexiae vi cedentium prae ceteris sequentia offerunt notatu digna: vasa meningum, cerebri, cerebelli et medullae oblongatae sanguine praeter normam turgida; su-

Digitized by Google

perficiem cerebri, ventriculos, vel et basim extravasatis aut cruentis, aut serosis obsita, et tandem cerebro remoto, ingentem, praecipue in basi, sanguinis atque seri copiam, quibus deinde alii et alia adhuc abnormia adjiciunt.

Prognosis.

Quod si individuum apoplexia correptum, dispositione ad hocce malum non adeo eminente gaudeat, aut eadem penitus destituatur, causa occasionalis ceteroquin cognita absque difficultate removeri possit, morbi duratio ad brevissimum temporis spatium adstricta fuerit, et therapia congrua omni ex parte adplicari possit; tunc spem fovere licet fore, ut largo sudore universali, copiosis urinis aliisque evacuantibus criticis, uti vomitu, diarrhoea, epistaxi, fluxu haemorrhoidali et tandem catameniis prorumpentibus solvatur, et redeunti sanitati pedetentim cedat.

Quod si vero apoplexia quemdam sub oppositis adgrederetur conditionibus; tunc nonnunquam diversa mala, uti ingentem memoriae labem (1), deliria, melancholiam, maniam (2), linguae reliquorumque organorum voci atque loquelae inservientium, nec non musculorum oris, faciei, sphincterumque vesicae urinariae et ani paralyses, et quae inde nascuntur, dysuriam, ischuriam, pertinacem alvi obstipationem, glandularum viscerum-

(1) Scripta de vi corporis in memoriam.

(2) Sprengel.

Digitized by Google

que abdominalium obstructiones etc. post se trahit; alias vero morte terminatur, et quidem ex sublato, quod inter singula et omnia intercedit corporis systemata, vinculo.

Therapia.

Therapia apoplexiae generalis tria respicere debet momenta, nimirum, aegri dispositionem, causam occasionalem et ipsum morbi characterem. Quoad dispositionem aegri, ad apoplexiam emendandam, laudantur quam maxime: regimen frigidiusculum cum situ corporis sub somno horizontali, et capite quidquam elevato; diaeta tenuis, magis ex cibis vegetalibus atque potulentis simplicibus acidulis constans; excretionis alvinae, nisi sponte quotidie secedat, sollicitatio artificialis; et tandem, majoribus sanguinis caput versus congestionibus aut quibusdam insultus prodromis in conspectum prodeuntibus, depletiones sanguinis.

Ratione causae apoplexiae occasionalis therapia pro ingenti hujus diversitate et ipsa diversissima adhibetur. Sic compressio cerebri post violentias externas a sanguine, sero, pure effusis, aut a frustis osseis impressio producta auxilio chirurgico auferenda, et vulnerum cicatrisatio non praecipitanda, sed potius eorum suppuratio, ut eadem in partibus interioribus antagonistice impediatur, aut imminuatur, sustinenda est. Sic post vehementiores animi adfectus e. g. iram, animo iterum mitigato, ratione individui, vel aromata, vinum, imo minor opii dosis, vel potus mucilaginosi, nitrati,

Digitized by Google

aliique antiphlogistici ad sanationem conducunt. Sic assumpta narcotica ea quantitate, ut apoplexiae periculum inde timeatur, vomitu rejicienda, hausto copiosissimo potu mucilaginoso diluenda atque obvolvenda, et tandem antidotibus, uti infuso copheae, camphora etc. indole sua nociva privanda. Sic suppressae se et excretiones, aut revocandae, aut modo vicario, e. g. per vesicantia, hirudines, per excitatas alias haemorrhagias etc. sollicitandae sunt.

DE APOPLEXIA SPECIATIM.

Divisio apoplexiae a diversis auctoribus varia statuitur. Attamen cum apoplexia proximam suam rationem vel in virium vitalium suppressione, vel in vera debilitate invenire videatur; cum praeterea vires vitales nunc sanguine, nunc sero in organo nobilissimo effuso supprimantur, et vera debilitas ex systemate nervoso male adfecto originem suam repetat: tunc divisio apoplexiae in sanguineam, serosam et nervosam usui medico maxime consentanea videtur.

DE APOPLEXIA SANGUINEA.

Diagnosis. Apoplexia sanguinea sequentia offert symptomata, uti: plenariam sensuum motuumque voluntariorum abolitionem, faciem turgidam, rubram, aut plane lividam cum oculis protrusis et pupilla dilatata atque immobili, os apertum spumans, venas jugulares turgidas, carotides alacriter vibrantes, et respirationem profundam, stertoro-

Digitized by Google

sam, abdomen inflatum, vomituritionem, ipsum vomitum, atque sphincterum resolutionem, et tandem calorem cutis auctum, pulsumque plenum, fortem, durum, quae omnia praesentem morbi formam eo magis comprobant, quo magis illis et congrua aegri dispositio, causa occasionalis et regnans genius epidemicus, ejusmodi adfectionibus amicus, correspondent.

Aetiologia. Causae apoplexiae sanguineae vel disponentes, vel excitantes inveniuntur. Ad causas disponentes referuntur: habitus corporis apoplecticus, ex corpore obeso, robusto, rigido, ex capite grandi, collo brevi et crasso, et tandem summo in congestiones caput versus nisu cognoscendus. Ad causas excitantes numerantur: laesiones mechanicae omnis generis, atque vitia organica encephalon plus minusve comprimentia; abusus potulentorum spirituosorum, vel medicamentorum stimulantium; repentina se et excretionum habitualium, uti haemorrhoidum, menstruorum, vel et exanthematum e. g. variolarum, morbillorum, scarlatinae; erysipelatis, vel et rheumatismi, aut arthritidis suppressio; vehementiores animi adfectus, praeprimis gaudium, ira; nimia mentis per studia aut meditationem profundam intentio; singulares quaedam corporis conditiones, e. g. graviditas, vomitus chronicus, tussis intensa, alvus pertinaciter clausa etc.; et tandem omnia, quae sanguinem majore cum impetu ad vasa cerebralia urgent.

Prognosis. Prognosis apoplexiae sanguineae, ratione morbi gradus, durationis, aegri dispositionis et causae occasionalis conditionis statuenda, sed et

Digitized by Google

semper limitibus angustioribus circumscribenda est. Nam quamvis etiam plures dentur hominum, qui apoplexia correpti, ſaustis sub circumstantiis, jam supra prolatis, iterum absque ullo malo subsequo pristinam recuperant sanitatem, tamen numerantur longe plurimi, qui, praeter omnem medici expectationem, morbi vehementiae sat saepe intra brevissimum temporis spatium cedunt.

Therapia. Therapia apoplexiae sanguineae prae reliquis causam occasionalem amovere studet, in quem finem sequentia adhiberi solent: corpore a vestimentis incommodis liberato, regimen quietissimum cum situ corporis horizontali et capite quidquam elevato, in cubili ab omni strepitu remoto et aëre puro, frigidiusculo repleto servatur; hoc ſacto ad congestiones sanguinis caput versus impediendas hujus evacuatio instituitur, et quidem ratione morbi gradus, aegri aetatis, habitus, sexus, status virium, vel per venaesectionem, vel per hirudines, vel nonnullis suadentibus per cucurbitulas, modo cognito, vertici, vel occipiti, vel ad latera colli, vel aliis corporis partibus adplicandas. Sanguine uno alterove modo detracto, alvus clysmatibus, et quidem, ne spasmi in imo ventre excitentur, nec acribus, nec calidis, sed potius simplicibus sollicitatur, deinde nisi ſacultas deglutiendi deſuerit, eccoproticis antiphlogisticis aperta ſluidiorque servatur, et tandem sphincteribus resolutis, aut deglutitione denegata, vel suppositoriis reseratur, vel ſumo nicotianae in anum cautissime inflato concitatur. His adhibitis revellentia ad sanguinis torrentem ab organo nobilissimo ad alia

Digitized by Google

minoris dignitatis derivandum, in auxilium vocantur; hinc frictiones, pediluvia tepida, epispastica, sinapismi et vesicantia etc., cum quibus omnibus tandem pro usu interno ulteriore, medicamenta diluentia, nimium vitae in systemate vasorum impetum temperantia, et leniter solventia conjunguntur, uti: serum lactis, decoctum hordei, cum nitro et oxymelle simplici, aliaque similia, diaeta ceteroquin nonnisi tenuissima servata. Quod si haec ad apoplexiae vehementiam infringendam et ad stadium reconvalescentiae adducendum sufficiant, tunc ad hoc rite absolvendum, ea laudantur, quae absque stimulo nutriunt, simulque systema nervorum parumper roborant, hinc: oryza, hordeum, grana sagu, gelatina animalis, lichen islandicus, lac, chocolada, balnea emollientia etc.

DE APOPLEXIA SEROSA.

Diagnosis. Apoplexia serosa sequentibus manifestatur symptomatibus: homo apoplexia serosa correptus non repentine sed pedetentim prosternitur, faciem pallidam, tumidiusculam, sudore frigido madidam ostendens, oculos atque os per aliquod tempus alternatim aperiens atque claudens, simulque ex hoc ingentem pituitae copiam ejiciens, voce ceteroquin et linguae motu non illico denegatis, sed potius sat saepe longiore tempore perstantibus, quibus deinde paullatim, respiratio impedita, stertorosa, sibilans; pulsus tardus, parvus, rarus, suppressus, inaequalis atque inter-

Digitized by Google

mittens; frigus universale; involuntarius alvi lotiique secessus etc. accedere solent, quae omnia eo cautius ad firmam diagnosin ducunt, si simul cum temperamento phlegmatico, habitu corporis cachectico, aetate senili, et causa occasionali huic indoli morbosae favente conjuncta animadvertuntur.

His addendum, apoplexiam serosam non ubicumque a sola seri, verum sat saepe etiam a pituitae vel aquae in cerebro effusione originem suam repetere, eamque minimam quandoque ad exitum mortalem sufficere, dummodo subito, et uno quasi impetu in ventriculis, aut circa cerebrum sub meningibus accidit.

Aetiologia. Aetiologiam apoplexiae serosae investigantes duo momenta causalia respiciamus est necesse, nimirum dispositionem et causas excitantes. Dispositio utplurimum a parentibus ad filios, a filiis ad nepotes jure hereditario propagata, in individuis cujuscumque aetatis, sexus et generis animadverti potest, ceteroquin per glandularum viscerumque abdominalium, praeprimis hepatis, lienis tumores, infarctus, vel obstructiones facillime exasperanda, vel per diversos morbos, uti: verminosum. nervosum, ethicum, convulsivum nimis intendenda. Ad causas excitantes autem numerantur: laesiones mechanicae omnis generis capiti illatae; influxus nocivi vitalem systematis nervosi actionem exhaurientes e. g. frigus, praeprimis capite aestuante et sudore madido admissum; humorum nobilium jactura et similia; praeterea narcotica majore dosi adhibita, aut justo diutius adplicata; vehementiores animi

Digitized by Google

726

adfectus, uti: terror, metus, anxietas, ira etc. vel et nimia mentis per studia aut meditationem profundam intentio; et tandem repentina exanthematum e. g. variolarum, morbillorum, scarlatinae suppressio.

Prognosis. Prognosis apoplexiae serosae, sicuti in quocumque alio morbo, fausta vel infausta statuenda — fausta, ubi morbi gradus minimus, duratio ad brevissimum temporis intervallum restricta, aegri dispositio ulteriori morbi evolutioni adversa inveniuntur, causa occasionalis ceteroquin cognita, absque difficultate removeri, therapia congrua atque necessaria omni ex parte adhiberi potest, et complicatio aut nulla aut levissima animadvertitur — infausta vero, ubi morbi vehementia et duratio increscunt; aegri dispositio et status virium huic adfectioni magis magisque extendendae favent; causa occasionalis aut latet, aut auferri non potest; complicatio gravissima accedit, et therapia congrua ob adversas aegri circumstantias adhiberi non potest.

Therapia. Therapia apoplexiae serosae eo dirigenda, ut morbi evolutio ulterior impediatur, et nimius vitae in systemate vasorum cerebralium impetus moderetur tollaturque. Quoad primum laudantur: regimen quietissimum, remotis simul omnibus, quae majores sanguinis caput versus congestiones excitant; diaeta tenuis, hinc cibi digestu facillimi, nec calefacientes, nec aromatici, atque potulenta simplicia aquosa; ad alvi segnioris, vel densae evacuationem sollicitandam clysmata, aut purgantia eccoprotica, aut irritantia etc. Quoad

Digitized by Google

alterum momentum, adhibentur: depletio sanguinis topica, epithemata frigida capiti imponenda, purgantia leniora, praeprimis calomel, medicamenta refrigerantia, potulenta emollientia. Summa morbi vehementia fracta, alia in usum vocantur, resorptionem et vitalem vasorum lymphaticorum actionem excitantia, uti sunt calomel, digitalis purpurea et alia similia, cum medicaminibus se-et excretiones promoventibus juncta, e. g. ononide spinosa, praeparatis sambuci etc; quibus pedetentim externe clysmata irritantia, fomenta frigida, excitantia, sinapismi, vesicantia, pediluvia tepida adduntur.

Quodsi autem apoplexia serosa ex profluvio quodam habituali, aut exanthemate, aut transpiratione cutanea suppressis originem suam repeteret, tunc haec remediis congruis quanto citius restituantur est necesse.

Ad fluxum haemorrhoidum aut menstruorum suppressum restituendum, utplurimum pediluvia, venaesectiones in pede instituendae, hirudines et cataplasmata ad perinaeum et partes vicinas adplicanda et similia a medicis practicis cum fructu adhiberi solent, qui exanthemata aut impetigines a partibus minoris dignitatis ad nobilissimas ex causa quacumque regressas, per insitionem artificialem, si autem hoc recusatur, per remedia fortiter irritantia, cuti adplicata, non neglectis simul balneis et medicaminibus in cutem specifice agentibus, revocant, suppressam transpirationem cutaneam simili ratione, per remedia in systema cutaneum vim suam exerentia, restituunt, et alias

apoplexiae causas e. g. sordes gastricas, vermes intestinales removere conantur.

His de therapia apoplexiae serosae in genere pertractatis ob tantam hujus morbi dignitatem, et quaedam specialia adnotanda habeo, et quidem»

a) quod in apoplexia serosa, quamvis per majorem sanguinis congestionem in vasis cerebralibus concitatam, vena, nonnisi morbo rapidissime increscente, aut individuo diathesi sthenica eminente, secetur, sed eo frequentius ad stimulum localem imminuendum hirudines in auxilium vocentur, regioni supraorbitali, temporali, aut post aures, pro diverso morbi gradu diverso numero adplicandae;

b) quod epithematum frigidorum usus eo usque continuetur, donec aeger sopore obrutus sui recuperet conscientiam;

c) quod calomelanos dosis, aegri aetati, organismi receptivitati atque tubi intestinalis irritabilitati respondere debeat;

d) quod in apoplexia serosa mucilaginosa, oleosa et similia tunc conveniant, ubi absque stimulo processus vitalis moderandus, atque incitationis excessus temperandus habentur, sive deinde ore sumantur, sive per clysteres adplicentur;

e) quod remedia revellentia, quorum virtus in apoplexia serosa summis extollitur laudibus, eo usque in adplicationis loco relinqui debeant, donec effectum suum necessarium praestiterint.

Digitized by Google

DE APOPLEXIA NERVOSA.

Apoplexia nervosa nomen suum adsiduis in cadaveribus observationibus debere videtur. Nam cum medicorum longe plurimi sub infausto apoplexiae exitu nullam hujus morbi causam i. e. nec sanguinis aut seri in vasis cerebralibus accumulationem, nec vitia organica hicce locorum haerentia, cultri ope detexerint; mox eo convenerunt; hancce apoplexiae speciem in systemate nervoso male adfecto radicem suam figere, adeoque nervosam dicendam esse.

Diagnosis. Apoplexia nervosa sequentem offert imaginem: aeger repentine cephalaea penetrantissima correptus, et ingens extremitatum frigus motusque earum convulsivos accusans, medico accedenti, cutem siccam, arescentem et pulsum frequentiorem simulque duriorem observanda praebet, quibus pedetentim facies pallida, collapsa; respiratio brevis, intercepta; et, morbo magis magisque evoluto, pulsus parvus, debilis, vacuus accedunt, quin tamen aegri somno adeo profundo, ac in reliquis apoplexiae speciebus obruantur, ex quibus rite dijudicatis tunc praeprimis ad apoplexiae nervosae praesentiam concludere licet, si ex adstantibus cognitum fuerit, subjectum hocce vitam sedentariam, studiis dicatam vivere, animi pathematibus saepe saepiusque deprimi, et morbis spasticis, convulsivis soporosis aut similibus haud raro adfici.

Aetiologia . Aetiologia apoplexiae nervosae ex duobus deducitur momentis, dispositione ni-

Digitized by Google

740

mirum, et causa occasionali. Dispositio vel in habitu nervoso ex systemate nervoso multo mobiliore, erethismo laborante, ex majore corporis imbecillitate, nimia sensilitate, cute tenera, alba, atque artuum gracilitate cognoscendo; vel in habitu phthisico radicari videtur.

Ad causas excitantes sequentes numerari solent venena narcotica; frigus nimium; inedia diutius protracta, animi pathemata deprimentia, uti: ira, terror, metus, tristitia; vigiliae nimis diu protractae; dolores corpus omni vehementia vexantes. Labores graviores atque majorem mentis intentionem sibi expostulantes; partus difficiles; abusus ciborum irritantium praeprimis aromaticorum, et potulentorum calefacientium atque spirituosorum; quidam morbi nervosi: hysteria, hypochondria, melancholia; et tandem notabilis humorum nobilium jactura, uti: sanguinis, spermatis, lactis aliorumque complurium.

Prognosis. Cum interna apoplexiae nervosae indoles atque natura densissimis involvantur tenebris, hinc ars medica in eadem tollenda vix firmis suffulcitur argumentis; tunc certe nec ullus invenitur medicus, qui in statuenda, gravissimi hujus morbi prognosi, non omnem adhiberet cautelam. Nam experientia quotidiana comprobatum videmus, hominum centenos inter atque centenos, paucissimos numerari, quorum vita, hujus morbi vehementiae superior, victrix inde secedit, atque arte adjuta, illico fomitem ex corporis penetralibus eliminat. Quare etiam prognosis in apoplexia nervosa angustissimis circumscribenda est limitibus, ne famae medici, et circumstantiis

Digitized by Google

aegri illiusque adfinium domesticis damnum inferatur, eo magis, quo frequentius hic morbus, adhibitis quibuscumque adhibendis intra spatium brevissimum citius morte terminatur.

Therapia. Haec variat pro variis circumstantiis; mox est refrigerans et sedans, mox (in debilitate systematis nervosi manifesta) stimulans, mox specifica, uti in morsu serpentum per ammoniam liquidam. Hinc in uno casu optimo cum effectu adhibentur: regimen quietissimum, diaeta tenuis ex jusculis, ex cremore hordei, oryzae etc. constans; in altero autem (debilitate nervosa) remedia stimulantia, ab initio aromatica (si deglutiri possunt), uti: arnica, valeriana, angelica in infuso aquoso aut vinoso; deinde camphora, olea aetherea, et preparata ammoniae, uti: sal volatilis cornu cervi, spiritus salis ammoniaci caustici, spiritus salis ammoniaci succinatus, diversae tincturae, uti: tinctura valerianae, castorei etc. et tandem moschus, vel et phosphorus oleo quodam aethereo exceptus, adhibenda.

Ceterum adhuc notandum apoplexiam nervosam quandoque etiam, praeprimis ad originem, majore cum sanguinis ad encephalon impetu junctam in conspectum prodire, quare etiam medicus summam in hanc circumstantiam infaustam adtentionem convertat, est necesse, ut congestiones praesentes, ante ipsam stimulantium adplicationem, remediis congruis tollantur.

Digitized by Google

242

Digitized by Google

THESES

I.

Morbi stricte dicti intermittentes non dantur, hinc omnes sunt continui.

II.

Animi pathemata deprimentia morbos epidemicos propagare valent.

III.

Medicum non aetas sed experientia facit peritum.

IV.

Qui morbum curare nescit curet symptomata.

V.

Purgantia non solum in obstipatione sed etiam in profluvio alvi possunt esse indicata.

VI.

Medici sicuti oeconomi a tempestate dependent.

VII.

Modernus status syphilidis opem mercurialium minus quaerit.

Digitized by Google

744

VIII.

Oculus est microcosmus in macrocosmo hominis.

IX.

Quamdiu terminologiam exactam non habebimus tamdiu confusio medicinae durabit.

Digitized by Google

Digitized by Google